



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si  
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas  
Semper Adest**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1645**

§. 7. Cardinales ab Episcopo, ad alterius vita iudicium venire iuſi,  
experiuntur non ridendos esse gemitus iniustè oppressorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)



*qui iustè ad Dei iudicium citantur.* 139

te sublatus & in lecto mortuus repertus est, in ipso ætatis flore; annos natus non plures, quàm viginti quatuor, menses nouem. Quo Dei supremi regis iudicio intellecto, proceres & populus rectè dicere potuerunt: *Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile & sanctum est: & honor regis iudicium diligit. Magnum nomen, quia magni Dei; terribile, quia potentissimi regis & reges ipsos iudicantis; sanctum quia iustissimi iudicis.* Siquidem regia sanctitas dignitasque id exigat, vt rex iudicium diligat; hoc est, vt personam non respiciat, siue ea è stabulo, siue è throno prodeat; vt non dissimulet crimen timore; nec furore exaugeat; vt denique amore iustitiæ conseruandæ iudicet; quod non semper in alteram vitam differt, vt doceat etiam vicarios suos rectè iudicare.

Psal. 98.

3.

§. VII.

*Cardinales ab Episcopo ad alterius vite iudicium venire iussi, experiuntur non ridendos esse gemitus iniuste oppressorū.*

Venio à purpura ad purpuram, hoc est, à Regibus ad Cardinales. Nam Anno 1154. Friderico AEnobarbo Imperante, Henricus Moguntinus; vel, vt alij volunt, Wormaciensis Præsul, falsò, & per calumniam quasi

Conrad.  
in Chron.  
nic. Mo-  
guntino.  
& l. Lipsi-  
us lib. 23



Monitor.  
polit. c.  
31.

quasi ad Pontificium inidoneus, Romæ accusatus; Arnoldum misit ad calumniam diluendam: quam nequam aduocatus magis accendit, corruptosque nonnullos, ad se traxit. Igitur innocens Henricus, à duobus Cardinalibus, quos Pontifex Eugenius III. ad causæ cognitionem delegauerat, iniuste damnatus & abdicatus est, ipso Arnoldo ambitioso calumniatore, in locum eius successore. Henricus exinde mœrore confectus his postremum verbis iniquos iudices appellauit: *Iniuste iudicastis. Appello igitur ad IESVM Christum equissimum iudicem; ibi respondebo. venite.* Rem tam seriam illi ioco eludentes, *Cum praecefferit*, aiunt, *nos sequemur.* Nemo se tanti facere debet, vt cum Deo audeat iocari; aut à se oppressam iustitiam contemnere. Sera subinde, sed certa est ultio. Siquidem & hi Cardinales, sibi ipsis ludendæ vates, Henricum reuera sunt secuti. Henricus enim, post annum ferè & dimidium, fato concessit. Morte illius audita, purpurati illi Patres veterem iocum repetentes dixère; *Ecce praeceffit, nos sequemur.* O miserè iocosi iudices, non iocum, sed vaticinium vestrum repetiistis. Est, qui audiat iniuste oppressos, Deus. Est, qui

qui



qui iudicia vestra vnam tantum aurem, & linguam accusantium duntaxat sequentia iudicet, maior iudex. Quamobrem funestum vobis iocum fuisse, euentus docuit. Quippe, vna vos dies ambos morti obiecit, vt author est Nauclerus; nec morti modo subita, sed etiam infelici ac miseræ. vnus enim, velut rabie actus, digitos proprios arrodens; alter, Arrij morte, in latrinis foetentem animam efflauit. Ita *contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoque diiudicat*: & diuina iustitia, nec purpuras veretur, nec tiaras. Ita Altissimus summos etiam vertices sub se habet. Neque regias tantum, sed etiam Imperatorias coronas iudicio arcessit, *qui non accipit personas principum, nec cognouit tyrannum, cum disceptaret contra pauperem: opus enim manuum eius sunt vniuersi.*

Prou. 18,  
18.

Iob. 34.  
19.

§. VIII.

*Imperator Otho à filio ad diuinum Prætozem euocatus, inde sententiam accipit, unde ius stabat.*

Transeo igitur rursus à Cardinalibus ad ipsos Imperatores, qui, cum peccant, Deo soli peccant; nec enim alium, in terris, nisi illum formidant. Narrat igitur Petrus Damiani

Petr. Dā.

miani